UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum Tractatuum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicationem Pagina Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Fasciculus Exercitiorum Et Considerationum, De Præcipuis Veritatibus Christianæ Fidei Et Sapientiæ - Ad efformationem Christianæ vitæ, consecutionem salutis æternæ collectus: & usui accommodatus

**Drużbicki, Kaspar**

**Ingolstadii, 1732**

**VD18 90066332**

Pars XVI. De Morte.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45396**

Visual Library

# EXERCITIORUM PARS XVI.

# De Morte.

## EXERCITIUM I.

### *De Mortis Natura, Conditionibus, Effectis.*

1. CONſtitue te in ſtatu moribundi, ac in vicino, ſeu proximo morituri: executurique jam in ſeipſo, decretum mortis: de quo Paulus diſertè pronuntiat; *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori: poſt hoc autem Judicium.* *Hebr. 9. 27.*

2. Conſidera: naturam mortis, ſeu mortem, eſſe privationem Vitæ, exceſſum Animæ de corpore, ſive, deſinere animam informare, ac vivificare corpus. Item, diſſolutionem ejus Compoſiti, ac Perſonæ, quæ eſt, homo, ex animâ & corpore compoſitus: qui enim mortuus eſt, jam non eſt amplius Homo, nec perſona ejus: eſto Anima & Corpus ſuperſint, at ſejuncta. Atque ex hoc capite, mors naturaliter timetur: quia morienti Eſſe ſuum aufert: quod ab omnibus, præ omnibus diligitur.

3. Conſidera conditiones mortis: harum; Prima eſt certitudo, & infallibilitas, ſeu inevitabilis neceſſitas: quàm enim quis noſtrûm Homo eſt, tam mortalis eſt, & mortis neceſſitati ſubja-

cet: eò quod ex contrariis, inter ſe pugnantibus, ac mutuo ſeſe corrumpentibus, conſequenter ac compoſitum de ſe deſtruentibus, compoſiti & compacti ſumus. Huc accedit pæna mortis cuique noſtrûm propter peccatum debita, & decreta: *Morte morieris.*

1. Reg. 14.44.

Secunda incertitudo & fallibilitas mortis de quâ Dominus crebrò admonet: *Vigilitate, quia neſcite diem, neque horam: quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit*, ad auferendam à te Animam tuam, & *villicationem tuam*, & repoſcendam abs te rationem tuam. Accedit ad hæc quia nec tempus, nec locus, neque genus mortis cuiquam certum eſt: omni enim tempore mori poſſumus, omni etiam loco, & genere mortis omni: quæ omnia experimento innumero comperta ſunt.

Matt. 24.42. Luc. 16.2.

Tertia conditio: quia velociſſimè advenit: quàm citò effugit tempus, & cum tempore evolat vita noſtra nobis, tam citò advolat mors nobis: Nihil enim eſt aliud noſtrum vivere quàm continuum emori: ſicut nihil eſt aliud Lucernæ ardere ac lucere, quam continuatum abſumi, & deſperire. Inde monitum nobis datur; *Mors non tardat.* Poteſt ſiſti motus cælorum, & curſus temporis; at vitæ noſtræ excurſus; & mortis accurſus ſiſti non poteſt.

Eccl. 14.12.

Quarta conditio mortis eſt: Incertitudo mortis & ſortis ejus: quis enim ſibi poteſt polliceri ſe moriturum morte v. g. Juſtorum: Morte ſanctorum Dei, pretioſâ coram Deo! & non morte impiorum peſſimâ? quis non ſalvaſſet Judam, Apoſtolum videns: quis non perdidiſſet Latronem

latro

latrocinantem cernens? Cadunt columnæ Cæli, & confringuntur: contra, quidam ex inferno inferiori eruuntur.

Quinta conditio mortis eſt: quia in hac ſolâ vitâ negotium mortis percurari, & tranſigi poteſt: ubi ad mortem venitur, janua clauditur; & dies mercatûs elabitur: nec licet emere quæ ſaluti æternæ ſerviant. Unde nobis dicitur: *Ergo dum tempus habemus operemur bonum.* Et iterum: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* *Galat. 6. 10.* *2. Cor. 6. 2.*

Sexta & ultima mortis conditio eſt incorrigibilitas; in morte certè bis non datur errare; ſemel tantùm moriendum, ſemel experiendum, ſemel tractandum, & ultimò negotium mortis eſt: ideo ante mortem benè & ſeriò, & tempeſtivè præcogitandum, prævidendum, præexperiendum eſt, quomodo velim, quomodo debeam mori? In horâ mortis, mori diſcere, & non errare optare, ac ſperare; grandis inſania, periculoſus valde ſaltus eſt.

4. Conſidera effectûs mortis.

Primus eſt ablatio & ereptio omnium rerum quaſcunque habuit, amavitvé homo. Probat id experientia omnium hactenus mortuorum: affirmat & ſcriptura dicens; *Homo cum interierit non ſumet omnia: neque deſcendet cum eo gloria ejus.* Neque id mirum: imò impoſſibile aliter fieri: propterea, quia; Secundus effectus mortis eſt, Hominem homini, id eſt, ſibi ipſi eripere: quid non eripiat ex rebus ejus mors homini, cum ipſum hominem eripiat homini? *Pſ. 48. 18.*

Tertius effectus mortis: reſeratio, ſeu inchoatio Æternitatis, & quidem vel felicis ac beatæ, vel infelicis ac miſeræ. Sicuti enim curſus

vitæ noſtræ præſentis, ratioque vivendi in præſenti, à nobis ducta, eſt quædam vel textura, vel ædificatio æternitatis, beatæ quidem Vitâ bonâ: Miſeræ autem vitâ malâ: ſic finis hujus Vitæ clavis eſt Æternitatis, & reſeratio vel hujus, vel illius. Vita benè usque ad finem ducta, ſerat & oſtium Æternitatis infelicis non reſerat: ſic neque Vita mala, malè concluſa, januam æternitatis beatæ apta eſt, aut poteſt aperire.

*Gal. 6. 10.* 5. *Ergo dum tempus habemus operemur bonum.* Præmittamus vitam bonam, bonæ morti, beatæ æternitatis portam nobis aperturæ: error in morte, errorum error eſt: irremediabilis, incorrigibilis, indeflebilis error: abyſſus errorum omnium miſerabilium, ſed maximè ex eo, quia æternorum. Omnes alii hujus vitæ errores, in hâc vitâ utcunque corrigi poſſunt: at error in morte error æternus eſt: ac ideo neque in hoc, neque in futuro ſeculo, corrigi poteſt. Hæc igitur cardinalis prudentia eſt; Per bonam, & ſanctam vitam præſentem, venienti morti errorum omnium obſerare januam.

## PRAXIS.

## Sive Oratio pro Vitâ bonâ, & ſanctâ Morte.

*DEUS, ſub cujus nutibus vitæ noſtræ præſentis momenta decurrunt: ſuſcipe preces humiliter acclamantium: ut hanc quidem mortalem vitam omnem, juxta ſanctiſſimam Voluntatem tuam, in abundantia bonorum operum, auxiliante gratia tua, ſemper decurramus: ejus verò decurſum, ſancto, & pleno, & tibi placito fine, per Filii tui, & Ma-*

*ejus, Electorumque tuorum merita, & per miſericordiam tuam concludamus.*

# EXERCITIUM II.

## *De vario, & de optimo genere Mortis.*

1. CONſtitue te in ſtatu moribundi, morientiſque, ſaltem in proximo, & certo: tanquam ejus, qui reſponſum mortis acceperis tam à Deo, quàm à Medico, quàm ab Amico: quàm à te ipſo, jam in naturæ viribus deficiente, morboque urgente.

2. Adverte, varia eſſe mortis genera. Eſt enim mors naturalis, ſeu corporis: cum vitâ, ſeu Animâ privatur: & huic; tum ex naturâ noſtrâ corruptibili, tum ex pænâ peccato inflictâ ſubjacemus. Et hæc mors, neque mala, neque bona eſt moraliter: naturæ tamen malum eſt: hæc enim appetit conſervari in Eſſe, iſta autem tollit eſſe.

3. Eſt mors Animæ, quæ & ſpiritualis vocatur: & hæc ſemper tantùm moralis. Nam Anima cùm ſit purus Spiritus, immortalis eſt Phyſicè, & incorruptibilis naturâ ſuâ. At Morali morte Anima varie moritur. 1. Eſt enim Animæ noſtræ Mors quædam optanda, & curanda: atque augenda, & defendenda in nobis à nobis: de cujusmodi morte Paulus intelligendus eſt; cùm ait; *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Hac morte morimur in Baptiſmo: ubi in Chriſto morimur, imò & ſepelimur, mundanis, & carnalibus deſideriis, atque concupiſcentiis: dæmonis quoque ſervituti & peccatorum tyrannidi. Hanc mortem Domi- *Coloſſ. 3. 3.*

nus JEſus vocat abnegationem ſui: Perditione
Matt. 16. 24. animæ. *Qui* (ait) *vult venire poſt me, abneget*
*metipſum, & ſequatur me.* Et; *qui perdiderit a-*
Joan. 12. 25. *mam ſuam propter me, in vitam æternam cuſto-*
Ibidem. *eam.* Et; *niſi granum frumenti cadens in terra*
*mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mor-*
*tuum fuerit, multum fructum adfert.* Hæc mor
etiam mortificatio ab Apoſtolo vocatur: *Mor-*
Coloſſ. 3. 5. *tificate* (ait) *membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram.*
Rom. 8. 13. Et; *ſi ſpiritu facta carnis mortificaveritis: vivetis,*
*autem ſecundùm carnem vixeritis, moriemini.* Et
2. Cor. 4. 10. *Mortificationem JEſu Chriſti in corpore veſtro cir-*
*cumferentes.* Inſuper hæc mors vocatur Cruci-
fixio, Crucis bajulatio: hinc dicit Paulus *Chriſto*
Gal. 2. 19. *confixus ſum Cruci.* Et; *mihi mundus crucifixus &*
Et 6. 14. *ego mundo.* Et Dominus: *Qui non venit poſt me,*
Luc. 14. 27. *& non bajulat crucem ſuam, non eſt me dignus.*
2. Alia mors Animæ noſtræ eſt mala, formidan-
da cavenda omni ſtudio, & diligentiâ. Hæc e
Ezech. 18. 29. mors peccati: de quâ dictum; *Anima quæ pecca-*
*verit, ipſa morietur.* Omne enim peccatum
mortale, animam occidit, pellens ab eâ ſpiritum
Vitæ: gratiam ſcilicet Dei, & ipſum Deum: &
reddit Animam cadaver ſpirituale, tot mortibus
necatum, quot peccatis mortalibus gravatum;
reddit odioſam Deo Animam ſive hominem.
Sap. 14. 9. *Odio enim eſt Deo impius, & impietas ejus.* 3. E
præterea mors, alia partialis, ut quando Homo
tantùm ſecundùm partem ſui aliquam moritur
v. g. tantùm corpore, aut tantùm Animâ: & alia
eſt mors totalis, ut quando totus homo, tam
ſcilicet corpore, quàm Animâ moritur: quod
fit, cùm quis in ſtatu paccati mortalis exiſtens

quo

quoad Animam, moritur etiam corpore: talem enim mortem excipit;

4. Alia mors omni morte pejor, mors ſecunda, mors æterna. Mors perpetuæ damnationis: de qua morte dictum, *mors peccatorum peſſima.* *Pſal. 33. 22.*

5. Hinc morti opponitur Mors illa, de quâ David: *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus:* & Joannes; *Beati mortui, qui in Domino moriuntur: opera enim illorum ſequuntur illos.* *Pſ. 115. 15.* *Apoc. 14. 13.* Hæc mors Juſtorum eſt: qui in gratiâ Dei hâc ex vitâ recedunt: hi vitam meliorem, quia beatam, quia æternam ingrediuntur, & poſſident, per mortem.

6. Hæc mors juſtorum, habet tres gradus ſeu claſſes morientium. 1. Quidam enim juſti moriuntur in ſolo ſtatu, ſive habitu Gratiæ, atque Charitatis Dei: quod quidem Bonum eſt, & neceſſarium, atque mortis bonæ, & juſtorum omninò ſubſtantiale: ſaltem enim tali morte debent mori, qui bonâ morte volunt mori. 2. Quidam moriuntur in actuali Charitate Dei, ſive in actuali exercitio actûs charitatis in Deum ſuper omnia dilectum. Quia actus Charitatis Dei, ita quandoque perfectus, & excellens eſt; (curandum eſt morienti ut ſit;) ut cum qualibet peccandi voluntate (etiam venialiter) habeat quandam incompoſſibilitatem. Cùm quali Amoris in Deum actu mori paucorum juſtorum eſt. Eſt enim ferè tantùm purgatiſſimarum, atque tali actui amoris benè inſuefactarum Animarum. 3. Quidam denique moriuntur non ſolùm in Charitate habituali, aut actuali: ſed etiam à Charitate, atque ex Charitate amoreque actuali: ita ut moriantur quaſi à vulnere exceſſivæ Charitatis, vehementiâ-

que amoris affectivi in Deum: de quali amore
Cant. 2. 5. Sponſa dixit: *Vulnerata Charitate ego ſum*, & il-
Cant. 8. 6. lud: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore*
Pſ. 72. 26. *langueo:* & Pſalmiſta David: *Defecit caro mea*
*& cor meum in Deum vivum:* neque id mirum
cùm *fortis ſit ut mors*, atque etiam morte fortior
*dilectio.* Hujusmodi mortuis auctarium inſigne
eſt, evolare ex hac vitâ, rectâ, in Cælum, ſine ſen-
ſu purgatorii. Atque hæc etiam mors paucorum
eſt: Niſi quia Domini manus non eſt abbreviata
ac noſtris modulis minimè menſuranda.

7. Ad hunc tamen modum, ſeu gradum mor-
tis adſpirandum eſt omnibus Perfectionis ac San-
ctitatis ſtudium profeſſis: quod ſi ad eum minus
pertingant; ad ſecundum ſaltem curent pertin-
gere: ut ſcilicet moriantur in actuali Charitate
Dei ſui: & quemadmodum deſiderat cervus ad
fontes aquarum, ſic illi deſiderent ad Deum: ſi-
tiatque Anima eorum ad Deum fontem vivum:
Pſ. 41. *O quando veniam: & apparebo!*

8. Sicut enim Profeſſores Perfectionis, non
decet vitam agere tantùm in Charitate habituali,
cùm id omnino omnibus incumbat: quibuscun-
Matt. 19. 17. que denunciatum eſt; *Si vis ad vitam ingredi ſer-
va mandata;* Verùm incumbit eis vivere in ma-
gna Charitate, in magnis, multis, aſſiduisque me-
ritis, & ſemper actibus Charitatis, vel à Charitate
ardenti imperatis fervere; amoremque Dei in ſe
magis ac magis, continuo, quoad licet, exercitio
ſuccendere; ita etiam non debet eſſe illis ſatis,
mori in Charitate habituali: ſed curare debent, ut
in actuali, eaque fervente excedant: & ab arti-
culo mortis inveniantur, rapianturque, & præ-
occupentur: ut ſi fieri poteſt, eum Amoris actum,

in

in quo ultimo à morte inventi ſunt, vivi, non finiant in hac, & cum hac vitâ: ſed continuent, deferantque illum in alteram, eumque inibi perficiant pro æternitate, & per æternitatem.

*PRAXIS.*

*DEUS, ſub cujus nutibus Vitæ noſtræ præſentis momenta decurrunt: ſuſcipe preces ad te humiliter clamantium; ut hanc quidem mortalem vitam omnem, ſecundum voluntatis tuæ ſanctisſimæ beneplacitum, ſemper in abundantiâ bonorum operum, auxiliante Gratiâ tuâ decurramus: ejus verò decurſum, ſancto, pleno, ac tibi placito fine, per Unigeniti tui, & Matris ejus, Electorumque omnium merita, & per miſericordiam tuam concludamus.*

# EXERCITIUM III.

## *De Mortis bonæ deſiderio frequentando.*

1. COnſtitue te in ſtatu moribundi, & tanquam in proximo morituri: & ſimul in affectu illius, qui gemebat, *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt: multùm incola fuit anima mea:* & illius qui anhelabat: *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Pſ. 119. 5. Phil. 1. 13.

2. Mortem bonam deſiderant omnes, etiam ille, eique ſimiles, qui dicebat: *Moriatur anima mea morte juſtorum, & fiant noviſſima mea horum ſimilia;* ſed hoc deſiderium paſſim eſt in hominibus ſterile, & inefficax: quia ad conſecutionem deſideratæ mortis bonæ, media apta non adhibent. Non enim diligunt, neque exercent vitam bonam: quæ tamen eſt unicum, & omnino neceſſarium huic fini aſſequendo medium. Num. 23. 1.

3. Sunt verò alii, qui ita Mortem bonam exoptant,

optant; ut ſimul vitam bonam ſtrenuè conſectentur: & ea quæ ſunt morti bonæ conſequendæ idonea, avidè, & providè conquirant: iidem tamen mortem ipſam, & nomen, mentionemque, & memoriam mortis abhorrent, contriſtantur, atque etiam indignantur, illato de morte vel uno verbo. Hi ſunt ſimiles illis, qui navigant mare, & licet pericula ejus patiantur pænè quotidiana: portum tamen, & extenſum refugiunt.

4. His talibus prætermiſſis, in perſuaſis, atque certis habendum eſt: Eſſe quandam, nec mediocrem perfectionem, cupere mori: fuitque hic affectus Sanctis ferè omnibus uſitatus: & eſt ſignum impensè Deum amantis Animæ, Velle mori: cupere diſſolvi, deſiderare liberationem è carcere, ſeu corpore mortis hujus: ſicut è contrario dolet Animam affixam corpori, aut mundo; aut ſaltem ipſi præſenti Vitæ: nec ſatis pericula ejus ſentientem quotidiana, plus æquo horrere mortem: vitamque hanc amare: neque cupere aut evolare in libertatem filiorum Dei, educi de cuſtodiâ hac multis compedibus Animam vinciente, quin & multis ſordibus inquinante, aut ad fruitionem Sanctiſſimæ Trinitatis quàm primum, finaliter & beatificè pervenire.

5. Sit etiam perſuaſum atque certum: cupere diſſolvi, & eſſe cum Chriſto: eſſe unum ex ſingularibus mediis, præparationibusque ad mortem, redolereque optabilem ſalutis æternæ ſecuritatem: quam Deus indulget iis, qui ei fideliter, & naviter ſervire, eique placere, ac ſecundùm Cor ejus Divinum eſſe ſemper ſtuduerunt. Ejusmodi eſt illa indulgentiſſima invitatio Divina ad Animam; Cant. 4. 80. *Surge, propera Amica mea: columba mea, formoſa mea,*

*mea, & veni:* & iterum; *Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni:* & rurſus; *Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni.* Quidni ergo deſideret, féſtinet, anhelet Anima: ad ita blandè, inſtanterque invitantem, & evocantem Deum?

6. Aſſueſcendum ergo eſt talibus deſideriis, & impensè quidem: quam ad aſſuetudinem, proderit expendere, atque uſurpare familiariter ſequentia motiva deſideriorum talium.

1. Opto mori: quia mortalis ſum naturâ mea: & Dei creatoris mei ſic factus ſum Voluntate, fiat ergo Voluntas ejus.

2. Opto mori in teſtimonium, & proteſtationem, tum ſupremæ poteſtatis, dominiique in me Divini: tum totalis meæ, rerumque etiam omnium, & ſingularum, à Deo dependentiæ: tum fragilitatis, vilitatis, corruptibilitatisque meæ, pulvis enim ſum, & in pulverem reverti me neceſſum eſt. Sicuti ergo vitam vivendo, profeſſus ſum Deum authorem dominumque Vitæ: ſic mortem obeundo, confitebor Deum eſſe arbitrum definitoremque mortis meæ.

3. Opto mori: ut primi originalis peccati pœnam, etiam mihi ab juſto Deo meritò inflictam, exolvam morte, tandemque illud finaliter expiem: deletum quidem illud eſt in Sacro Baptiſmate: pœna tamen mortis luenda remanſit.

4. Opto mori: ut ex ſtatu peccabilitatis, funditus emergam: tranſeamque in eum ſtatum in quo peccare ampliùs non poſſim, neque per malitiam, neque per infirmitatem, neque per ſubreptionem. Et ſim extrà periculum omne, violandi, vel in minimo, Dignitatem, Majeſtatem,

San-

Sanctitatem, Bonitatem, Charitatem, Voluntatemque Dei mei, excidendique à Gratiâ ejus: ſed ſim ſecurus de Amore, & Amicitiâ ejus in æternum. Nihil enim amantes Deum Animas gravat juſtius, aut ampliùs, in hoc mortali corpore, quàm quod, dum in eo degunt, Deum omni momento offendere poſſint: & interdum ſaltem ex obreptione offendant: ab ejus Amore vel excidant, vel tepeſcant, vel ceſſent, ob quod incommodum, periculumque perpetuum, meritò faſtiditur hæc vita, & anhelatur ad aliam. Non impatientiâ moleſtiarum, & ærumnarum, ſed metu impotentis ad peccatum potentiæ, & deſiderio perfectiſſimè, continuèque amandi Deum, in ſtatu alterius vitæ: & illi tanquam ſummo, & ultimo bono æternaliter inhærendi.

5. Opto mori: ut meâ morte, mortem JESU Chriſti, Domini mei, quâ me ille ab æternâ morte redemit, honorem, imiter, eique mortuo, & ipſe mortuus aſſimiler. Sicut enim maxima Domini noſtri dignatio in eo fuit, quia ſeſe uſque ad mortui ſtatum demiſit: ita maximè à nobis mors ejus honoranda eſt. Magis autem honorari non poteſt, quàm mortem viciſſim pro illo, mortisque illius honore, ac imitatione ſubeundo.

6. Opto mori: ut ſequar exemplum Pretioſiſſimæ Dei Matris MARIÆ, Dominæ meæ: quæ carens alioqui moriendi debito, mori tamen voluit & ipſa: ut ſuâ mortê mortem Filii ſui honoraret; quare ſicut illâ ſuâ morte mortem Filii ſui honoravit, ſic & à nobis decet mortem ipſius honorari morte noſtrâ.

7. Opto mori: & anheloſiſſimo quidem

deſi-

deſiderio opto: ut per mortem meam, ſive in articulo ejus, omnes Dei mei Voluntates, omnia JESU Chriſti deſideria, atque intenta, circa me, impleantur abſolutiſſimè: & ultimate in me, & morte tanquam ſigillo conſignentur.

8. Opto mori: ut quàm primum, definitus mihi à Deo, propter JESU Chriſti Merita, gratiarum, & donorum gradus, in me ex iisdem Chriſti Redemptoris mei meritis adimpleatur, conſummeturque. Maximè, cùm fiat ſæpè, ut Deus, in ipſo tranſitu, & articulo mortis, impleat in Sanctorum ſuorum Animabus, ea omnia, quæ brevi vitæ uſu, mortisque adproperatione, præfinitæ illorum conſummationi defuerunt: ſicque in illo brevi puncto, expleantur in eis, & ab eis, tempora multa.

9. Opto mori: ut ultimi & ſummi finis, bonique aſſecutio ſuprema, ac ultimata, quam à Creaturâ ſuâ, & habere poteſt, & intendit Deus etiam in me, & à me, initium executionemque habere tandem incipiat. Et hæc non eſt alia, niſi beatifica Dei exaltatio, glorificatio, poſſeſſio, fruitio.

10. Opto mori: ut per mortem meam, augeam, & exequar mercedem Chriſto à Patre ex Juſtitiâ debitam: quæ finaliter conſiſtit in Glorificatione Patris, per beatificationem æternam à ſe Redemptorum.

11. Opto mori: ut practicè, ac reipsâ ſubjiciam me juri, quod Dominus meus JESUS, ex naturâ, & ex merito habet, in omnes vivos mortuosque, in omnes ad judicium ejus morte devenientes.

12. Opto mori: ut etiam ſubdam me juri Pre-

Pretioſiſſimæ Dei Matris: quod illa habet ſibi à Filio conceſſum, in ultimum Agonem, in Mortis inſtans, omnium quidem, at ſpecialiter in ſuorum amatorum & clientum.

13. Opto mori: ut primo quoque tempore, ſalvo tamen per omnia guſtu Voluntatis Dei, per actum, & medium mortis, voluntariè deliberatè à me acceptatum, (eſto aliàs naturâ mihi debitum) ultimatè, & completè, Deo me ſubjiciam, Deo obediam, ad Deum perveniam, Deum adorem, Deum aſſequar, videam, confitear, poſſideam, teneam, fruar: ut item moriens, completè id quod Deo placuerit merear, merendique ſpatium moriendo concludam. Morte enim obitâ, jam non licebit creſcere, aut proficere.

14. Opto mori: ex deſiderio, quàm primùm accedendi ad Sanctos, eosque videndi: tum Pretioſiſſimam Dei Matrem: Verbi quoque Incarnati Sacratiſſimam Humanitatem: præ omnibus autem Uni Trinam Beatiſſimi Dei Eſſentiam; ut mediante morte meâ, tandem tandem Deo æternaliter, ac beatificè conjungar, in gloriâ conſummatâ: ejusque Sanctorum Societate potiar in æternum.

### *P R A X I S.*

## Vel fiat ex poſitis optationibus:

vel ex Pſalmo Davidis 141. ad hoc propoſitum valde apto.

*VOce meâ ad Dominum clamavi: Voce meâ ad Dominum deprecatus ſum.*

*2. Effunde*

2. *Effundo in conſpectu ejus Orationem meam, & tribulationem meam ante ipſum pronuntio.*
3. *In deficiendo ex me ſpiritum meum: & tu cognoviſti ſemitas meas.*
4. *Conſiderabam ad dexteram & videbam: & non erat qui cognoſceret me.*
5. *Periit fuga à me: & non eſt qui requirat Animam meam.*
6. *Clamavi ad te Domine, dixi: Tu es ſpes mea, portio mea in terrâ viventium.*
7. *Intende ad deprecationem meam: quia humiliatus ſum nimis. Libera me à perſequentibus me: qui confortati ſunt ſuper me.*
8. *Educ de cuſtodiâ animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant juſti donec retribuas mihi.*

# EXERCITIUM IV.

## *De Morte malorum, juſtorum, perfectorum.*

1. CONſtitue te vel in conſpectu, vel in ſtatu moribundi: cui dictum ſit à DEO; *Diſpone domui tuæ: quia morieris tu, & non vives.* *Iſaiæ 38.2.*

2. Hæc denuntiatio quibus fiat, ſolent eſſe, vel mali ac impii, vel juſti ac boni: vel Sancti ac perfecti: quorum in claſſe an tu ſis? futurus ſis? aut eſſe velis? jam vide.

3. De morte malorum graphicè dictum eſt à Spiritu Sancto. *Mors peccatorum peſſima.* Et; *O Mors, quàm amara eſt memoria tua homini.* *Eccl.41.1.* Peſſima & amariſſima eſt mors impii, tam ante mortem, quàm in morte, quàm poſt mortem.

1. Ante mortem: ob corporis ægri dolores, impatientias, querimonias, etiam de Deo ipſo:



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quaſi authore iniquo, & importuno, ejus in
mitatum. Ob Animi angores, tædia in &
doloribus: mærores ex amiſſione omnium mu
di bonorum jam jam ingruente: timores
mortis, & mortem ſequentium malorum adve
tu, non dubio; ob ſcelerum certam conſcien
am, multitudinem, enormitatem, nec non d
monum præſentiam ad extrema urgentium,
rapere ad ſuam ſocietatem paratorum, uti le
num rugientium paratorum ad eſcam.

2. In morte etiam mors peccatorum peſſim
Videt enim infelix peccator, ſupra ſe quide
cælum æneum, inexorabile: Judicem DEU
iratum: Sanctos elongatos, imò infenſos. I
trà ſe conſcientiam accuſatricem, teſtem, co
victricem. Circa ſe dæmonum horribilium c
Pſ. 34. 25. tervas clamantium: *Euge, Euge: devoravim*
*eum.* Infrà ſe, os inferni apertum, & ardor
ſempiternos, jam paratos, & aſcendentes, &
deſperationem præcipitantes.

3. Poſt mortem verò, tum demum mo
peccatorum peſſima. Omnia bona Fortunæ
rapinam abeunt: & ſæpe ad non ſuos, ſed
alienos, ad hoſtes, ad ingratos. Bona corp
ris ab animâ deſerti, nulla remanent: ſucce
horror, fætor, putor, vermium ſcaturigo, na
ſea, & abominatio. Animæ bona, ſi quæ inve
untur, ea ſunt pauca, imperfecta, manca,
fecta, ingrata, mortua, & denique jam ha
vitâ, ſuâ mercede ſatis compenſata: vitæ,
mercedi æternæ non idonea: porrò mala op
interna & externa, ex omni parte infinita, ex
ſiſſima, jam Deo judice recognita, & dam
tioni æternæ addicta: ipſa demum Anima,
& u

& unguibus dæmonum, æternisque ſuppliciis tradita per ſententiam; *Diſcedite à me maledicti.* Matt. 25. 41.

4. Hæc mors; numquid placet tibi? eritnè tua huic ſimilis? facisnè, & quomodo facis, ne ſit ſimilis? & quando facies, aut facere incipies, ut ſit planè diſſimilis? ô, quamdiu cras, cras: quare non modò, quare non ſtatim, finis turpitudinis, & impietatis? Ah, quàm nihili, quam vana, quàm fæda, quàm ſceleſta, quàm nulla ſunt, quæ te impediunt, à pænitente, & emendatâ vitâ, quæ te detinent in ſceleſtâ, & impænitente vivendi ratione? Deusne deeſt, aut ejus gratia? an tu tibi potiùs, qui Deum, & ejus gratiam negligis, contemnis, abjicis; Et quamdiu ſic deſipies? Vitamque in melius non mutabis, mortemque meliorem, dum vita ſuper eſt, tibi non providebis?

4. Mors juſtorum, per omnia opponitur iſti perditorum exitui: de illâ dicit Spiritus Sanctus; *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Apoc. 14. 13. Sperant enim Juſti in morte ſuâ;

1. Eſt enim Juſtus beatus ante mortem ſuam: beatus quoad Corpus; quia etſi dolet, & morbos ſentit, ſenſum tamen illum dolorum æquanimiter ſuſtinet, & Deum in eis laudat, nec ſtultum quid contra Dominum loquitur: unit dolores ſuos Chriſti doloribus: offert illos pro ſuarum noxarum expiatione: condit illos amore Dei, & reſignatione plenâ in ſanctiſſimam Dei Voluntatem: facitque ex eis ſibi meſſem meritorum, & exſolvit purgatorium per eos, ſive ſuum, ſive Animarum aliarum.

2. Beatus quoque juſtus ante mortem ſuam:

quoad Animam: quietus enim & etiam gaude
mortem excipit: plenus quiete, pace, ſolati
ſpe: quin & deſiderio ſtatûs melioris, brevi ſt
adventuri. Non eum terret conſcientia mal
quam pacatam habet, ob pænitentiæ, & virtu
tum, & alia bona opera. Non dolet de amiſſio
ne, aut relictione bonorum temporalium: qu
non amavit, & pridem animo dereliquit: rect
iis uſus eſt: & libenter expedit ſe ab eis tanquam
periculosè habitis. Solatur illum, recte factorum
conſcientia: non ſolum emundata: ſed etiam
2.Tim.4.1. ornata, & ditata: ait cum Paulo: *Bonum certa-*
*men certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi: in*
Pſ.121.1. *reliquo repoſita eſt mihi Corona Juſtitiæ*: ait & cum
Davide; *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in*
*domum Domini ibimus.* & cum Aug. *Domine fac*
*quod juſſiſti: da quod promiſiſti.*

3. Beatus etiam juſtus in morte. Nam ſupra
ſe videt placatum Judicem: bono animo eſſe
jubentem, benigne ad ſe advocantem. Circa ſe
videt Coronam Sanctorum: Dei Matrem, SS.
Angelos, & Patronos: Intra ſe habet conſcien-
tiam mundatam, quietam; ſub ſe infernum
concluſum, & dæmones procul repulſos, con-
fuſosque. Denique excipit ſententiem ſalutis
æternæ: & exit de corpore ſecurus Vitæ beatæ.

4. Beatus verò maximè juſtus poſt mortem:
quia vel triumphans ſtatim in Cælum ducitur,
lumine gloriæ, & viſione Dei beandus, aut jam
reipsâ beatus; vel ſi ad Purgatorium ei diverten-
dum eſt; hoc ipſum eſt ei cum certitudine, &
ſecuritate ſalutis æternæ: & interim eſt in DEI
Charitate: amatque juſtitiæ ejus ſatisfieri in ſe:
& apta

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& aptari ſe, emundarique, dignè conſpectu, & fruitione Dei.

5. Age homo: nonnè more juſtorum morte deſiderabile eſt? Inſpice conſcientiam tuam præſentem: eritné mors tua mors juſtorum? Si addubitas, ſi formidas: non tu inſanis qui hoc negotium tibi dubium eſſe, volens facis? quam dabis Deo, quam ipſi tibi obtrudes excuſationem: ſciens tantas te habuiſſe, & habere opportunitates, gratias auxiliantes, exſtimulationes, exempla? Numquid vides, quas in anguſtias, & anxietates animam tuam deduxerit, deducatque negligentia, tepiditasque vivendi, dilatio emendandi, & in ſervitio viâque Dei fervendi?

5. Jam de morte juſtorum, perfectorum ac Sanctorum dicit Spiritus Sanctus; *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.* Et cur pretioſa? utique quia admodum cara, admodum rara, admodum Cor Dei lætificans, cælos ornans, beatos omnes exhilarans: pretioſis, atque inſignibus gloriæ tam ſubſtantialis, quam accidentalis dotibus Animam Sanctam cumulans, & toti Cælo pretioſam reddens, utramque Eccleſiam Dei, tam Triumphantem, quàm militantem excellenter ædificans, & perficiens. 1. Hæc pretioſa mors: habet omnia bona mortis juſtorum, ſed excellentiùs & copioſiùs, tantò, quantò Sancti per eam morientes, & ipſi excellentiores in vitâ ſuâ fuerunt, & in ſuâ morte ſunt. Quantùm igitur egregiè Sanctorum vita & mores ſuperant vitam & mores juſtorum (ut ſic dicam) plebejorum, atque vulgarium, qualium ordinariè plena ſunt domicilia Religioſorum: tantùm etiam egregiè Sanctorum, ac



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Perfectorum mors, ſuperare ſolet mortem vu
garium, ac de plebe juſtorum. Et quia talis e
conditio ſtatûs Religioſi, attentis eis, quibu
ſupra modum abundat commoditatibus, & au
xiliis ad vivendum ex omni parte quàm Sancti
ſimè, atque perfectiſſimè; ita ut tantùm vulga
riter juſtum eſſe, ac juſte vivere in Religione
non tantùm laus magna non ſit, ſed ferme re
prehenſibile ſit; ſic etiam attentis iisdem Vit
Religioſæ, tàm plurimis, quàm ſingulariſſimi
efficaciſſimisque mediis, & ſubſidiis, mori i
Religione morte juſtorum vulgarium, ade
vulgare, plebejumque eſt; ut propemodum, ſ
emori, Religioſis probroſum ſit: neceſſe auten
ſit atque obligatorium iis, tàm vivere quàm
mori, vitâ & morte Sanctorum, vitâ & mor
Perfectorum, vitâ & morte pretioſâ in conſpect
Domini.

2. Neſcit certè homo; (& loquimur de Re
ligioſi ſtatûs homine;) Neſcit (inquam) religio
ſus homo; quæ ſit ſpes vocationis ſuæ, coram
Deo, quâ ad Religionem vocatus eſt, quisqui
putat ſatis facere ſe obligationi, & ſpei voca
tionis ſuæ, ſi tantùm curet de plebe juſtorum
eſſe: & quaſi unum de vulgo juſtum mori. Hæ
vocatio, hæc juſtorum vita, & mors, omniu
prorſus Chriſtianorum eſt: ad quam, religioſ
vocationis gratiis, & ſumptibus, Deo minim
opus eſt. Ergo ubi abundat Dei gratia, (quo
modo revera abundat, & plusquam abundat Vo
cationis Religioſæ gratia) ibi etiam abunda
omnino debet tàm Vita Religioſorum Sanctita
excellens, quàm mors eorundem in conſpect
Domini pretioſa.

3. H

3. Hic verò jam quæritur, inter perfectionis & Sanctitatis profeſſores, ſectatoresque (Religioſos,) ut fidelis quis inveniatur: ut hoc revera ſit opere, quod eſt ſtatûs profeſſione: ut expleat ſpem vocationis ſuæ, per exæquationem profeſſionis ſuæ: ut per quinque Domini talenta ſuperlucretur, alia quinque, ut unica *Domini Mna*, in eo *decem Mnas acquirat;* ut demum dignus fit à Domino audire; *Euge ſerve bone: eſto poteſtatem habens ſuper decem Civitates.*. Hæc utique eſt pretioſa in conſpectu Domini Mors Sanctorum ejus. *Luc.10.17.*

4. Ad quam, quid tibi deeſt, ô Homo Dei: ſi tu ipſe tibi non dees? & numquid curas ne deſis? & : ah! quàm parvæ res, quàm magnas impediunt? Viri glorioſi: qui omnia Mundi, Carnis, Diaboli, vincula ruperunt, promiſſa ſpreverunt, res & ſpes conculcaverunt: propter ſingulare ſcilicet, excellensque obſequium Dei; unam negligentiam, tepiditatemque, unam dilationem & procraſtinationem, unum timorem, ſeu reſpectum humanum, unam conſuetudinem, affectionemvè, pervincere, non poſſunt, non audent, nolunt: ut Deo magis placeant quam hominibus, ut Deo potiùs ſecundùm Cor & guſtum ſint quam ſibi: ut Deo ampliùs pretioſi in vitâ & morte ſint, quàm deſpecti, & ridiculi, illuſique diabolo, & in vitâ ignavâ atque tepidâ, & in morte anxiâ atque trepidâ.

Ergo quicunque deſideramus pretioſam mortem noſtram eſſe in conſpectu Domini; amemus, curemus, vivamus vitam eximiè ſanctam, perfectam, conſummatamque in obſequio Domini.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## *PRAXIS,*

*DEUS, ſub cujus nutibus vitæ noſtræ præſen[tis] Momenta decurrunt, ſuſcipe preces humil[ium] ad te clamantium; ut hanc quidem mortalem Vi[tam] omnem, ſecundùm Sanctiſſimæ Voluntatis tuæ be[ne]placitum, in abundantia bonorum operum, adjuva[nte] Gratiâ tuâ ſemper decureamus: ejus vero decurſu[m] ſancto, pleno, pretioſo, ac tibi placito fine, per F[ilii] tui, & Matris ejus, & Electorum omnium meri[ta], & per miſericordiam tuam, concludamus.*

# EXERCITIUM V.

## *De Præparationibus ad Sanctam Mortem.*

1. COnſtitue te in ſtatu moribundi: inque v[i]cino mortem habentis: & quaſi tibi d[i]-
1. Petr. 4. 7. ctum ſit ab Apoſtolo; *omnium finis appropi[n]quavit: eſtote itaque prudentes, & vigilate:* & a[b]
Jac. 5. 8. alio; *Confirmate corda veſtra, quoniam adventu[s] Domini appropinquavit*; da ſeriam operam, u[t] monitis eorum obſequaris: & juxta monitu[m]
Ezech. 7. 2. 6. Prophetæ: *quoniam finis venit, venit finis:* fa[c] concluſionem.

2. Concluſionem facere, ut arbitror, e[ſt] ſeſe ad venientem Vitæ finem, hoc eſt, ad mor-tem diſponere, atque præparare, ne nos impræ-ratos ſeu mors, ſeu in morte Dominus reperia[t]: atque tanquam ſervi nequam, adventum Domi-ni, nec ſcientis, nec ſperantis; partem noſtra[m] cum hypocritis ponat.

3. Collige, & ſelige tibi juxta ſtatûs tui exi-gentiam, concluſionis, ſeu diſpoſitionis, præ-parationisque tuæ ad mortem praxes: quas exer-

cendo,

cendo, & frequenter, & diligenter, & conſtanter, inveniaris, (juxta Domini noſtri monitum) idoneus atque dignus ſtare coram Filio Hominis judicaturo vel judicante.

4. Suppono, ac proinde & ſepono hîc, concluſiones, diſpoſitionesque, alterius generis, puta civilis prudentiæ ac moris, juſtitialis quoque obligationis: ut eſt Teſtamentum condere, debita creditoribus, mercedem operariis, ſtipendia familiæ, aliena ſuis Dominis, pia legata in Animæ ſubſidium, cæteraque uſitata ac neceſſaria ordinare: quæ propoſito meo præſenti non ſerviunt ad tractandum.

5. Concluſiones præparationesque mei propoſiti præſentis ſunt ſpirituales: interiùs Animam morituri, ſed ad mortem bonam atque ſanctam diſpoſituræ: ſi fuerint practicatæ, & maturè, uſu, & exercitio frequenti, faciles, familiares, connaturalesque redditæ.

1. Prima præparatio, Aſſuefacere mentem ſuam, longo, & crebro uſu, ad mortem futuram memorandam, amandam, ruminandam, deſiderandam, imaginandam. Non quaſi aliquid malum & triſte, ſed tanquam malorum remedium ac finem, portam verò & reſerationem bonorum, & quidem æternorum. Non eſt ferenda puerilis illa, & verè inſipida quorundam à mortis mentione, vel cogitatione abhorreſcentia: horreant mortem gentiles, infideles, Dei hoſtes, peccatis infixi, carnales, avari, odium Dei & horrorem futuri ſeculi propter vehementem ad præſentis vitæ bona adglutinationem habentes: at juſti, amici Dei, operibus bonis, & ſanctis debiti, facientes Dei voluntatem ex ani-

mo, placendi Deo ſtudium, & exercitium, pul-chritudinisque internæ æmulationem habentes; ut quid iſti mortem horreant? Impiorum mors meritò ab impiis horretur: eſt enim oſtium illis ad omnem calamitatem, & præcipitium in æternam perditionem. At piorum mors, tranſitus & transmigratio eſt de miſeriis ad felicitatem, de periculis ad ſecuritatem, de exilio ad Patriam, de mortalitate ad immortalitatem, de mundo ad cælum, de lachrymarum valle ad beatitudinis regnum, denique à ſe ad Deum.

2. Procurare omni ratione, diligentiâque conſcientiæ & animæ munditiem, dabit fuga omnis peccati obfirmata; etiam tantùm venialis deliberati tamen, ac voluntarii, ac frequentati cujus labes in Animâ nullo modo toleretur ex amore munditiei. Sic enim conſequetur illud

Prov. 22. 11. promiſſum Spiritûs Sancti: *Qui diligit Cordis munditiem, habebit amicum Regem.* Ornatum conſcientiæ, dabit Exercitatio Virtutum, & operum eximiorum copia, meritorum quoque Chriſti Domini communicatio. Divitias verò animæ dabit Gratiæ Dei ſanctificantis abundantia. Ad iſta autem omnia, & ſingula, copiosè, facilè, certò conquirenda, & abundanter cumulanda, ſupra modum adjuvabit;

3. Præparatio, quæ eſt; uti crebrò, accuratè, & dignè Sacramentis, tam Pœnitentiæ, quàm Euchariſtiæ, quorum etſi primum præcipuè ſanat vulnera, & emundat ab inquinamentis conſcientiam; poſterius ditat, dotat, & ſaginat Animam divitiis gratiæ, donisque ſpiritualibus; ſi tamen utrumque ritè obeatur, & frequentetur; & prius Sacramentum Animam

emun-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

emundando locupletat: & poſterius eandem ditando clarificat & emundat: & coram Divinis oculis pulchreſcere admodum facit. Si Chriſti fideles vellent, uti certè poſſent, agnoſcere & æſtimare, quàm multa, quàm ſalutaria, quàm certa efficaciaque, quàm expedita, & facilia habeant expoſita, in horum duorum Sacramentorum frequenti uſu bona; non procraſtinarent certè, in menſes, aut annos differendo uſum eorum: ſed more veterum, ac primorum Chriſtianorum, in quibus & fides vivebat, & Charitas fervebat, quotidie hiſce Sanctiſſimis Sacramentis uterentur: ſed nunc admirandâ nimium, & execrandâ diaboli fraude; homines Chriſtiani, ita ſinunt, & amant ſe deluti; ut ex omnibus Chriſtianæ fidei ac pietatis officiis, animarumque ſuarum auxiliis, nullum minus curent, nullum minùs æſtiment, nullum minùs frequentent, quàm iſtorum duorum Sacramentorum uſum. Et hoc faciunt illi Chriſtiani, qui vel maximè, ex ſtatu animarum ſuarum, & ex modo vivendi ſuo, ſi ſe vel modicè expendunt, indigent omnino, crebro, ne dicam quotidiano, & inſuper repetito, Sacramenti pœnitentiæ uſu, ac remedio, & lavacro. Quotidie enim peccant, & multa, & gravia, & varia: quorum remedium, Sacramento pœnitentiæ, nullum certius, nullum efficacius, nullum expeditius: & tamen iſti malunt ſordeſcere, & tanquam jumenta putreſcere in ſtercoribus iniquitatum ſuarum, vivaque animarum ſuarum cadavera, atque dæmonum mancipia, in maſſis corporum ignavorum circumferre: quam per Sacramentum Pœnitentiæ, in lavacro Pretioſiſſimi Sanguinis Chriſti ablui, atque

que vivificari: & contra quotidianas ſuas in- mitates, quotidiano pœnitentiæ pharmaco ſa- nari & confirmari. Tu quisquis ſapis Chriſti- ne, facies tibi familiarem, & per hoc ſimul fa- lem, efficacemque Sacramentorum Pœnitent- & Euchariſtiæ uſum: & tuo proprio felici exp- rimento diſces, percipiesque, tum munditiem tum ornatum, tum opulentiam admirabilem conſcientiæ tuæ: multumque egregiam, ac ſo- latii ſolidi pleniſſimam diſpoſitionem pro extre- mo Agone Mortis tuæ.

4. Præparatio: Inducere in Animam fre- quentatione multâ, uſum & praxim contritio- nis de peccatis. Contritionis dico, quàm for- matiſſimæ, pleniſſimæ, & quantum fieri pote- exaggeratiſſimæ, atque cordialiſſimæ. Hujus exercitationis magnus erit uſus ſub articulum mortis: quando finaliter cordiali, & cordialiter finali, maximè opus erit omnium peccatorum abolitione. Eam contritionem opus eſt curare talem fieri, quâ aboleantur ex Anima omnes culpæ, non ſolùm quoad reatum peccatorum, ſed etiam quoad reatum debitumque pœnarum, & in hac & in futurâ vitâ debitarum. Eandem contritionem opus eſt eſſe talem; ut quantum ex homine eſt (nam Gratiâ Dei volenti non deeſt) ſit ex vi ejus incompoſſibilitas quædam in mente cum peccato quovis: avellaturque à peccato quocunque omnis affectus, omnis etiam pro- penſio, ac inclinatio voluntatis ad peccatum: & fiat in animâ, quaſi quædam impoſſibilitas pec- candi, cum ſic, & in ſic aversâ mente, volun- tateque à peccato. Hæc impoſſibilia non ſunt cum Dei auxilio: & quamvis diuturna in Animo

pro-

pro ſtatu hujus vitæ eſſe non poſſunt; interdum tamen eſſe poſſunt: & ita animam conſtituere; ut inveniatur coram Deo, ſine omni obligatione tam culpæ, quàm pænæ: in quo ſtatu ſi mori hominem contingat, purgatorio non guſtato, abibit rectâ, ad fruendum Deo, in Cælum. Ad hoc verò conſequendum, plurimum facit frequens Contritionis exercitatio, & in uſum facile deductio, cum Divinâ gratiâ.

5. Præparatio: Inſuefacere quoque Animam actibus Virtutum præcipuarum, tam externis, quàm (præcipuè) internis: tum ut Anima talibus actibus, & per hos roboratis habitibus, & ornetur, & ditetur, coram Deo: tum ut eadem Anima in mortis conflictu, dum corporis vires ſenſusque concident, ipſa tamen, actus virtutum facilè ſola elicere, ſeque contra tentationes tueri, ad Deum ſurrigere poſſit, præterito uſu facilitatem præbente. Adſueſcat ergo Homo dum ſanus eſt, actibus, Fidei firmæ: à certitudine, dubiis aut dubiorum umbris dimoveri, vel ad momentum neſciente: non diſcutiente ſenſu & ratiunculis quibuscunque articulos fidei ullos: ſed revelationi Dei qui nec fallit, nec fallitur; propoſitioni Eccleſiæ, quæ eſt columna & firmamentum veritatis; inhæreat: tanquam inviolabili, & omnibus inferni portis ſolidiori Petræ. Adſueſcat etiam exercitio ſpei & fiduciæ in Deum, in ejus Miſericordiam, & gratiam, & auxilium, & merita Chriſti Redemptoris: ut ſit in hâc fiduciâ, *ſicut Mons Sion:* & ſolidâ cor- 1. Tim. 1. 12.
dis voce dicat cum Paulo: *Scio cui credidi:* & cum
Davide: *In te Domine ſperavi: non confundar in* Pſ. 30. 2.
*æternùm.* Adſueſcat vel maxime Actibus Cha-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ritatis Dei ardentibus, & ſuper omnia Deum
ſtimantibus, appretiantibus, deſiderantib.
Item Dei timori caſto, filiali, ſponſali, revere
tiali: ut & ſperet in bonitate ac miſeratione:
vereatur Juſtitiam ac Majeſtatem: ſic ſperet
non præſumat: ſic timeat, ut non deſperet. Pr
terea adſueſcat Humilitati: & ſeſe fundet in co
nitione ſui nihili, ſuæ quoad omnia paupert
nuditatis, indignitatis, immunditiei, iniqu
tis, ſi abſit miſericordia Dei, & Gratia Reder
ptoris Chriſti: quæ niſi qualiacunque homi
merita, vel opera, ſublimet, ac dignificet; o
*Iſ. 64. 6.* nia ſunt *quaſi pannus menſtruatæ.* Adſueſcat Re
gnationi pleniſſimæ in omnem Dei Voluntat
bonam, beneplacentem, & perfectam, & o
nia meliora homini providentem. Adſueſ
etiam ſpeciali curâ & affectu illis actibus: quib
Prima Veritas JESUS, peculiares & maximè e
petibiles moribundis aſſignavit adpromiſſ
temunerationes. Ejusmodi Actus ſunt: 1. Co
donatio injuriarum nobis ab aliis irrogatarum
*Matt. 6. 14.* de quo actu ſic Dominus: *Si dimiſeritis homi
bus peccata eorum* (in vos;) *dimittet & vobis P
ter cœleſtis delicta veſtra.* 2. Fuga judicandi
cenſurandi alios: de quo actu ait Dominus N
*Matt. 7. 1.* *lite judicare: & non judicabimini.* 3. Fuga co
demnationis alienorum factorum: ait enim D
minus. *Nolite condemnare & non condemnabi
ni.* 4. Beneficentia in malefactores: de qua
*Matt. 5. 44.* Dominus: *Diligite inimicos veſtros: benefacite
qui oderunt vos: Orate pro perſequentibus & cal
niantibus vos: & erit merces veſtra multa: & e
tis filii Altiſſimi: quia ipſe benignus eſt ſuper ing
tos & malos.* Hæc Dominus. Et quis Mori
ti

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tium non velit ejusmodi gaudere in morte ſuâ privilegiis? Viventes ergo hiſce Actibus inſueſcamus: ut eorum mercede in morte potiamur.

6. Præparatio: Poſtulare à Deo donum, gratiamque finalis in bono, & gratiæ ſtatu perſeverantiæ, quod Donum purè Donum eſt, & in meritum non cadit: proinde cum magnâ ſui diffidentia emendicari à Deo debet frequentiſſimè. Ex alia tamen parte, cùm Perſeverantia ſit etiam Virtus; conſtans, & frequens ejus propoſitum, deſiderium, exercitiumque illius habendum eſt. Optimus Perſeverandi modus in Gratia, in Charitate, in bonis operibus, in ſanctitatis, & perfectionis, & boni ſtatûs ſtudio, ille Sancti Pauli; *Renovamini Spiritu mentis veſtræ:* & *Æmulamini Chariſmata meliora:* & ille Auguſtini; *Semper adde, ſemper ambula, ſemper profice, ſemper tibi diſpliceat id quod es, ſi vis pervenire ad id, quod nondum es.* *Eph. 4. 23.* *1. Cor. 12. 31.*

7. Præparatio: Vivere perfectè ſecundùm ſtatûs, & vocationis ſuæ exigentiam: in omnibus, etiam quæ minutæ videnur, obſervantijs. Hæc cura practicè in executionem deducta, omni quidem Chriſtiano in ſtatu morienti, ad ſanctam mortem prodeſt; maximè tamen perſonis Religioſis, proprio jure, utilitatem, ſecuritatem jucunditatemque præſtat in morte idque ex eo capite, quia Religioſus, ſi revera hoc eſt quod profitetur; certus eſt: ſe omnia agere ſemper, & ex Dei Voluntate, & juxta illam: unde certus eſt; etiam ſe omnia placitè Deo agere: accedit, quod Religioſus ſtatus, natura ſua, eſt ſtatus pœnitentiæ atque obedientiæ & Religionis, ſeu Devotionis; ob primum; expiat

omnes

omnes ſuas obligationes culpæ & pænæ: ob ſe-
cundum & tertium; amplificat merita ſuorum
operum omnium coram Deo: gratiamque &
gloriam ſibi adauget. Ideo perfectus regularum
ſuarum obſervator Religioſus, ex hac vita, re-
cta ad Cælum migrat.

8. Præparatio: affici ſingulariter ad Domini
noſtri omnem quidem vitam, & vitæ exempla,
ſed potiſſimùm ad Paſſionem, & Crucem, &
Mortem: ejusque tum meditationi, tum imita-
tioni, tum participationi, affectu rationali,
tenero, & æſtimativo vacare. Et ſingulariter
Agoni Chriſti in Horto, & per tres horas in Cru-
ce, in inſtanti mortis, ſeu egreſſus ejus Sacra-
tiſſimæ Animæ de Corpore. Dignum eſt nota-
ac fide, inprimis autem imitatione, quod refe-
rente Cæſario, quidam Religioſus impetraverit
ſibi gratiam ex hac vita migrandi ſine purgatorio
ad cælum, hac oratione; *Domine JESU per illam
amaritudinem, quam ſuſtinuiſti propter me in Cruce:
Maximè, quando Anima tua Benedicta egredieba-
tur de Corpore tuo: miſerere Animæ meæ in egreſſu ſuo.
Amen.* Ejusdem argumenti, & fructûs eſt illa
oratio: *Domine JESU, inſtanti mortis tuæ, & in-
ſtanti mortis Matris tuæ, omniumque Electorum
tuorum, inſtans meæ commendo: benedic iſti, pro-
pter illa.*

9. Præparatio: Tenera & Filiali devotione
affici erga Pretioſiſſimam Dei noſtri Matrem.
Hæc eſt enim conſtituta præſes Agonis, & exitûs
noſtri extremi: propter quod Sancta Eccleſia do-
cet, ac jubet nos Dei Matrem invocare ſpecialiter
pro mortis noſtræ horâ.

10. Præparatio: Magna ad Sanctos cum Deo

regnan-

regnantes devotio, eorumque veneratio, & invocatio: nominatim S. Michaelis Archangeli, S. Cuſtodis Angeli, Sanctorum ſpecialium Patronorum.

11. Præparatio: Singulariter liberalem & aſſiduum eſſe in adjuvandis Animabus purgatorii; de quâ re plura inferiùs.

12. Præparatio: Facere interdum, ſemel v. g. in menſe aut bis, experimentum aliquod mortis, imaginarium quidem, attamen quaſi practicum: hæc omnia, vel pleraque faciendo in tali experimento, quæ facta velles in ipsâ reali tuâ morte: & talem mortem imaginariè ſubeundo: qualem velles reipſa ſubire. Bonum etiam eſt: quotidie in lectulo ad ſomnum componere ſe tanquam in loculo & ad mortem: ibique, in manus Sanctiſſimæ Trinitatis, Chriſti Domini, ejusque Matris, ſuam Animam commendare ac deponere.

13. Præparatio: Quotidianos lapsûs, item quotidianâ ſatisfactione, expiationeque abolere: & quidem cum fænore quopiam, ut ubi fortè abundaverit delictum, ibidem abundet etiam gratia, & emendatio: quod ita fiet; ſi unusquisque defectus, pluribus actibus bonis, inprimis autem contrariis lapſui, fuerit expunctus, aut compenſatus.

14. Præparatio: Totum ſe, vel Animam ſuam, & cor ſuum, quotidie à malitiâ lavare, balneo contritionis, Charitatis Dei, & proximi: in ſpecie, amoris inimicorum, & condonationis offenſarum, operum miſericordiæ, & Eleemoſynæ cujuscunque, ſed inprimis ſpiritualis: at peculiariter in balneo ſanguinis, mortisque, ac Meritorum JEſu Chriſti. Nusquam enim efficacius

Ægyptii noſtri obruuntur, quàm in rubro m ſanguinis JEſu.

15. Præparatio: Quotidie Indulgentias le timè conceſſas, ritè lucrari ſæpiùs in diem, ſi ſint eæ plenariæ, ſive partiales, & minores. H jus enim avaritia ſanctiſſima & innocentiſſima & magnam in Morte fiduciam præſtat: o proinde operi Vitæ, jungatur uſus indulgentiæ.

16. Præparatio: Inexpletâ fame, ſitique, d ſiderare; ac quà licet, procurare; aſſiduum ſemper majus ac majus incrementum divinæ gl riæ: nec non propriæ Animæ, ſimulque omnium & ſingularum Animarum, ſalutem, atque pro ctum: conſecrando, & donando ad id om momenta Vitæ ſuæ, actionum, paſſionumque ſ rum, imò & omnium Creaturarum in unio meritorum Chriſti Domini: ejusque Matris, Electorum: atque hac methodo faciendo: ut ta vitâ, imò totius vitæ, operumque & paſſio num momenta, ſint coram DEO zelus glo ipſius, & animarum propter ipſum.

17. Præparatio: Curare, atque facere, omnes, & ſingulæ vitæ noſtræ actiones ac mu tiones, ſeu paſſiones, ſingulaque momenta e rum, ſint ex intentione noſtrâ, diſpoſitiones co dis & animæ, ad gratias tam actuales, quam ha tuales: in ſpecie ſacramentales, & ſacrificiales & ad ipſa Sacrificia, atque Communiones: ſacra mentales, ſi fieri poſſent; ſpirituales verò, qu niam hæ poſſunt: Imò ut omnia vitæ noſtræ ctionumque ac paſſionum momenta, ſint no Communiones ſpirituales: ſive vota ac deſide Sanctiſſimæ Euchariſtiæ reipsâ recipiendæ: n que Chriſto uniendi, paſcendi, in eum transf

mand

mandi: Exemplo Sanctiſſimæ Dei noſtri Genitricis Mariæ; quam tradunt, & Sacramentaliter creberrimè communicaſſe: & ſpirituales communiones nunquam intermiſiſſe.

18. Præparatio: Aſſueſcere, & familiarem ſibi reddere, triplicem actum affectumque, homini ad veram internam ſolidamque humilitatem cordis, & ad Deum fidelitatem mentis fundandam, valde utilem: omninoque neceſſarium. Primus actus & affectus eſt: cognitâ penitiſſimè paupertate ſuâ omnimodâ, omnia & ſingula, à Deo quotidie, & ſæpius emendicare bona: utpote à quo ſolo bono cuncta procedunt. Secundus actus & affectus eſt: eadem omnia bona à Deo accepta, eidem quotidie, aut etiam ſæpiùs ex toto reſtituere: & ut ab eo ſerventur petere: quandoquidem Dei ſolius eſt, omne bonum: & quoniam bonis Dei, malè eſt apud hominem: qui partim eſt ſtultus puer, æſtimare bona DEI neſciens: partim eſt abſurdus helluo, bona Dei prodigere ſciens, ſed conſervare neſciens: partim eſt ſceleratus fur, bona Dei, Deo ſurripere, ſibi illa arrogare, ac de illis ſuperbire, ſciens, audens, & ſolens. Benè ergo & neceſſario adſueſcet homo, reſtituere Deo, omnem bonitatem, & bonitatis laudem, & gratiarum actionem: ſibi verò reſervare ſuam pauperiem, malitiam, & malitiæ pœnam, facieique propriæ confuſionem: quæ ſola & omnia debentur homini: etiam pro ipſis bonis ac meritis ejus, quatenus quidem ex ipſo ſunt, & ipſius ſunt. Unde homo, tam ipſum ſe, quàm omnia ſua, qualitercunque bona ſecum; vilificare, & in ſuo nihilo, in ejusque vilitate demergere, & ſic tam ſe, quàm illa appretiare debet. Quatenus

autem bona, meritaque noſtra, à Deo, & ejus gratiâ ſunt; eatenus Dei revera ſunt: & ei attribui, reddique ex toto debent, cum laude, & gratiarum actione. Et quamvis in eis homo ſperare ſobriè poteſt, debet tamen etiam propter illa ſibi timere: quia etſi ſunt à Deo donata, remanſerunt tamen hominis coram Deo debita: quorum ſtricta ratio erit reddenda. Tertius actus & affectus eſt: Gratiæ Divinæ tam Sanctificantis, quàm Auxiliantis (atque in hoc paſſu hujus maximè) tenera cordialisque æſtimatio: eidemque per omnia inhæſio: ita ut ex veritate perſuaſiſſimâ, cum Divo

1. Cor. 15. 10. Paulo, dicat Homo aſſiduè: *Gratiâ Dei ſum id quod ſum:* & id etiam; (Auguſtinus addit) quod non ſum: *& gratia ejus in me vacua non fuit.* Non eſt autem vacua, ſi agnoſcitur, amatur, prædicatur, laudatur, eſſe gratia.

Hiſce tribus actibus affectibuſque multum frequentatis, & in mente, ſeu corde radicatis, indubiè Homo præclarè, & cum quadam ſoliditate ſecuritate, diſponitur coram Deo, ad benè obeundum mortis negotium: omnem enim locum adferunt, aditumque iſti actus affectusque præcludunt ſuperbiæ: quæ maximè inſidiatur in morte hominibus, & inprimis quidem juſtis: proinde hîs actibus affectibuſque præmunitos eſſe morientes oportet.

Has præparationes, utiliter ſibi comparabit quiſquis ſuam mortem coram Deo bonam, & beatam, & pretioſam eſſe deſiderat. Porrò alias præparationes quisque arbitratu ſuo, juxta ſtatum ſuum, juxta ductorum ſpiritualium conſilium juxtà morem & praxim juſtorum, & maxime juxtà mentem, & ſenſum Sanctæ Catholicæ Ec-

cleſiæ

cleſiæ præfiniet: duo hæc cordi habens quæ ſubjungo. 1. Ut maturè negotium hoc, & ad praxim, executionemque, animum, & laborem applicet: hîc enim revera *quod differtur, aufertur.* 2. Ut in executione non deficiat, neque laſſeſcat, ſed obfirmato animo conſtanter ad mortem perſeveret. Omnis enim quæ hîc ſubibitur fatigatio; optimè compenſabitur pretioſæ mortis præmio.

### *PRAXIS.*

*DEUS, ſub cujus nutibus vitæ noſtræ præſentis momenta decurrunt: ſuſcipe preces ad te humiliter clamantium: ut hanc quidem mortalem vitam omnem, ſecundùm Sanctiſſimæ Voluntatis tuæ beneplacitum, ſemper in abundantiâ bonorum operum, auxiliante gratiâ tuâ decurramus: ejus verò decurſum, ſancto, pleno, ac tibi placito fine, per Filii tui, & Matris ejus, Electorumque omnium merita; & per miſericordiam tuam concludamus.*

# EXERCITIUM VI.

## *Summarium ſcrutinii Conſcientiæ ante Mortem.*

COnſtitue te in ſtatu moribundi, & jam reſponſum mortis in ſe habentis, atque *velocem fore ſui tabernaculi depoſitionem* advertentis. *2. Pet. 1. 14.*

2. Vide, ut ſis unus de prudentibus Virginibus: ut egreſſus obviam Sponſo, inveniaris habens lampadem ornatam, lucentem, ardentemque, & inſuper oleo abundanti inſtructam: atque id tempeſtivè: ne tum primùm oleum aut mendices, aut emptites, quando Sponſus adveniet: &



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ad nuptias intrabit: & claudetur janua: & tu cum
*Matt. 25. 12.* fatuis audies amarum illud; *Neſcio vos.*

3. Cogita ergo, & prævide, atque provid
nunc: quidnam in articulo Mortis poſitus, vol
à te prævifum, proviſum, factumq́; eſſe: quænam
præcipuè fugiſſe, & fugaſſe, ac à te removiſſe,
quibus purgatus, & immunis, & expeditus eſſe,
quibus Deo, in quibus proximis tuis, tibi etiam
ipſi, munerique tuo, ad plenum ſatisfeciſſe, qu
Vitæ conſcientiæque labes expiaſſe, balneaſſe
ſuppleviſſe velles?

4. Eſt tibi erratorum ac delictorum numerus
*Pſ. 37. 5.* *ſicut arena quæ eſt in littore maris: ſupergreſſæ ſunt*
*iniquitates tuæ capillos capitis tui.* Potes, imo
*Pſ. 18. 13.* debes dicere cum Sanctis, *Delicta quis intelligit*
*ab occultis meis munda me Domine; & ab alienis*
*Job. 13. 26.* *parce ſervo tuo. Scribis contra me amaritudines*
*Pſ. 24. 7.* *& opprimere me vis peccatis adoleſcentiæ meæ. De-*
*licta juventutis, & ignorantias meas ne memineris*
*Domine.* Iſti ergo ſic: quorum unum non re-
prehendit in omni Vitâ ſuâ Cor ſuum: alter te
Deo, Vir ſecundùm Cor Dei, faciens omnes vo-
luntates ejus. Tibi verò, de te, quis ſenſus
quod conſcientiæ, quod Dei teſtimonium.

5. Intelligisne delicta tua? tuæ Naturæ, Per-
ſonæ, Corporis, Animæ, Intellectûs, Voluntatis
Memoriæ, Phantaſiæ, ſenſuum internorum, ex-
ternorum, concupiſcentiæ, ſenſualitatis, amoris
timoris, deſiderii, iræ, cæterarumque affectionum
omnium corporis membrorum, libertatis, judicii
electionis, ſtultitiæ, ignorantiæ, temeritatis in ju-
dicando, ſuſpicando, decernendo, loquendo
*Luc. 3. 6.* ſola *lingua*, quanta *univerſitas iniquitatis*
commiſſiones, omiſſiones, cum alienis comp-
cita

citates; aliena ſcandala, vanitates, tepiditates, reſpectus (ut vocant) humani, brutæ affectiones, inconſtantiæ in bono, obſtinationes in malo, dilationes, inconſtantiæ, recidivationes, præparationes ad mala agenda, ponderatio & conatus malitiæ voluntariæ in peccando, numerus ſine numero.

6. Iſta, & his ſimilia omnia, habesnè ſatis perſpecta, diſcuſſa, abolita coram Deo? an reſpondebis ei vel unum pro mille tunc; quando tibi, volenti nolenti, oſtendet *quantas habeas iniquitates!* & quando *arguet te*, & *ſtatuet te contra faciem tuam?* Et tamen ad ſingula horum reſpondendum eſſe articulus mortis clamabit: nec licebit ad vocem ejus obſurdeſcere. *Jpb. 13. 23.* *Pſ. 49. 21.*

7. Nunc ergo, judicii mortis, atque Dei ſpeculum tibi objice, & inſpice: Nunc ſtatue tibi ſpeculam, coge concilium, ini conſilium pro te, contra te, de ipſo te: & hoc age, atque perfice, ut & longè, & ſæpè ante mortem vivere ſatagas: abſque omni (ut hæc vita patitur) obligatione, tam culpæ, quàm pœnæ coram Deo. Omnia pacatæ, felicis, pretioſæ in Domino Mortis, & impedimenta ſubmovere, & adjumenta adhibere ſatage: & conſueſce. Expia maculas omnes: vitia, parvasque conſuetudines ab Animâ tuâ proſcribe, & expia. Voluntariis pœnis, lachrymis, gemitibus, ſuſpiriis, orationibus Sacrificiis; Eccleſiæ & ſpiritualibus, frequentatione Sacramentorum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ, Indulgentiis, jejuniis, abſtinentiis, vigiliis, eleemoſynis ſpiritualibus, corporalibus, dolore, luctu, contritione cordis: condonatione, oblivione, compenſatione beneficiariâ injuriarum tibi illatarum:

ſincerâ dilectione inimicorum, & malefactor, & ingratorum; & invidentium, & detrahenti abſtinentiâ omnimodâ à cenſuratione alienor morum, factorum, talentorum: Supplemen ac ſupererogatoriis actionibus, paſſionibus, voribus, induſtriis: Unione omnium rerum rum, totiusque Tui, ad JESU Chriſti ſanguin & mortem: ad pretioſiſſimæ Dei Matris, ad ctorum merita, & interceſſiones, atque Patro nia: Toleratione Crucis. poſt, & propter C ſtum: denique ſtatûs tui ſanctâ, plenâ, perfe adimpletione: atque in his omnibus conſumm per gratiam Dei finali Perſeverantiâ.

## PRAXIS.

*DEUS, ſub cujus nutibus vitæ noſtræ præſ momenta decurrunt: ſuſcipe preces ad te hu liter clamantium: ut hanc quidem mortalem vi omnem, ſecundùm ſanctiſſimæ voluntatis tuæ be placitum, in abundantiâ bonorum operum, vante gratiâ tuâ, decurramus: ejus verò decurſ ſancto, & pleno, ac tibi placito fine, per filii tui, Matris ejus, Electorumque merita, & per Miſeri diam tuam concludamus.*

# EXERCITIUM VII.

## *Refugio, & ſolatia Moribundi.*

1. CONſtitue te in ſtatu moribundi: & omnibus tàm hominibus, quam re tandem deſerendi: nihil enim te horum in mo comitabitur, ſed neque Gloria tua deſcen tecum. Opera tantùm tua ſequentur te, cæ

q

quidem nudiſſimum: atque adeò etiam temetipſo ſpoliatum.

2. Quamobrem utere prudentiæ conſilio: & pro diebus usque adeo malis circumſpice, & congrega tibi refugii locum, & modum: & provide; ne nudus ambules: ſed habeas cuſtodita veſtimenta tua: juxta monitum Spiritûs Sancti.

3. Age rem ſerio: Mors enim valde ſeria eſt. Mori jocando quidem & ludendo contingit, ſed nequaquam joco, aut ludo id fit: quisquis moritur, ſeriiſſimè moritur: quare ex negotiis maximè ſeriis unum, ac fortè ſolum eſt, mori.

4. Corpori mortuo deponendo, provident paſſim homines, ipſi etiam mortui, ponunt in hoc ſolicitudinem quandoque ambitioſam: meliùs facerent, ſi Animabus ſuis, quærerent, aut pararent, caperentque, refugia: ne fugientes, aut ne potiùs fugatæ à morte, cadant in obſcurum.

Refugia Animæ Chriſtianæ, in quibus ſecuriſſimè, & habitare, & latitare, & requieſcere, ſi modò dignam ſe facere velit, & ſciat, haud dubiè poteſt: ſunt hæc;

Primum latibulum, refugiumque, Animæ à Corpore parantis diſceſſum, eſt ipſa Sacroſancta Trinitas Unus Deus. Ad ejus imaginem factus eſt Homo: haud ergo dubiè ibi locum habet: neque amat Deus alibi ſuam eſſe Imaginem, quàm apud ſe: cum ipſe dixerit; *Reddite quæ ſunt Dei Deo.*

Alterum Refugium, reclinatorium, ſalatiumque morientis Hominis eſt, idem Deus: quatenus eſt ultimus finis Hominis, ſummumque,

& ultimum bonum ejus: cujus quoque Amo[re] ex abyſſis Nihili ſui, homo productus eſt.

Tertium Refugium Moribundi, eſt Verbu[m] Incarnatum, Deus Homo: ad quem uſum ſ[e] Matt. 11. 28. ipſemet invitat; *venite ad me omnes, qui labora[tis], & onerati eſtis: & invenietis requiem Anim[a]bus veſtris.*

Quartum Refugium Moribundi, eſt ide[m] Dominus noſter JEſus Chriſtus: ejusque vu[l]nera hiantia, & univerſi labores, dolores, Cru[x] quoque, & mors, ac ſepultura ejus. Ibi ille re[]cipit, recondit, fovet, tuetur, ſolatur, læti[fi]Cant. 2. 14. cat omnem Animam confugientem. *Column[ba] mea in foraminibus Petræ, in cavernis maceriæ.*

Quintum Refugium Morientis eſt, Præſen[]tia, ſignaculum, & Gratia Spiritûs Sancti: ab eo enim & inhabitamur, & eundem inhabitamus: ab eo in Sacramentis, potiſſimùm in Baptiſmo conſignamur, quia & in ipſo ſepelimur.

Sextum Refugium morientis, eſt Dei Voluntas, Providentia, atque Nutrix omnium Gratia: quæ totius quidem Vitæ noſtræ, at maximè in extremo decurſu ſuam circa nos curam exerit, & ſalutis noſtræ efficacem diligentiam, per ſeſe, & per Angelos, aliosque adminiſtros gerit: & Pſ. 29. 6. ideo ſi quando, tunc maximè, *vita in voluntate ejus:* & tunc etiam eſt campus omnimodæ in Dei Voluntatem, providentiam, gratiamque reſignationis: atque toto corde, totâ Animâ, totis Matt. 6. 10. viribus ei dicendi, & repetitò repetendi; *Fiat Voluntas tua.*

Septimum Refugium Moribundi, eſt Pretioſiſſima, Potentiſſimaque Dei noſtri Mater, Patrona morientum, Domina item, Mater, Heres,

Here-

Hereditas, & Sponſa amatorum Filii ſui, & ſuorum. Sine dubio paratiſſimum, & ſecuriſſimum eſt receptaculum periclitantium, & portus ſecurus ex procelloſo vitæ hujus mari enavigantium.

Octavum Refugium, Eccleſia Triumphans univerſa: omniumque jam beatorum Societas, atque Civitas: in quam conſcripti ſumus: & jam non hoſpites, & advenæ, ſed domeſtici ſumus: illuc ergo tam meritò, quàm ſecure, aſpiramus, accedimusque.

Nonum Refugium Morientis, eſt Eccleſia Militans tota Dei noſtri Chriſti, dilecta & Sancta Sponſa: cujus cùm membra ſimus omnes; Communionem ejus habemus: & quæ nos Chriſto Sponſo immaculate regeneratos offert; hæc etiam hinc abeuntes libens ſanctificatos repræſentat.

Decimum Refugium Morientis eſt, ſua cujusque, in quâ vixit Communitas: v. g. Religioſi, ſua Religio: quam cum inimus, dicere & proteſtari, & profiteri, vovereque ſolemus; hæc requies mea: hanc elegi, & hîc habitabo in ſæcula: quod & votis firmamus: ut ſecurè dicere poſſimus, tum ſemper, tum in articulo mortis, *Domini ego ſum.*

Undecimum Refugium morientium, eſt Agonizans JEſus, & inſtans mortis ejus, Matris ejus, & Electorum ejus.

Duodecimum Refugium moribundi eſt, nihilum ſuum, & omnimoda tàm naturæ, quàm Spiritûs egeſtas, mendicitasque; ex quâ Homo, nihil eſt, nihil poteſt, nihilo dignus, (niſi contemptu, odio, ſupplicio, & perditione, ac obli-

vione)

vione) penitus eſt: ſed quidquid eſt ſola ſo[...]
Dei gratiâ eſt, omniaque meretur.

Beatus moriens, qui ſuo nihilo, Chriſti me[...]
to, Dei miſeratione circumſpectus moritur. [...]
Pſ. 126. 5. enim ſecurè *loquitur omnibus inimicis ſuis in por[...]*

5. Hæc Refugia, occupa: & occupare, [...]
habitareque feſtina Anima mea: hæc incole ſe[...]
per: ex his egredere nunquam. Egredere p[...]
tiùs de Mundo: per contemptum ejus, & ſi p[...]
tes, etiam per votum Paupertatis Chriſti, a[...]
plectendo nuditatem ejus. Egredere de car[...]
& ſanguine, odio mortificationeque illius & [...]
potes, etiam voto perpetuæ caſtitatis prop[...]
Chriſtum, ſectando puritatem ejus. Egredere [...]
à temetipsâ: abnegando plenè teipſam, & vo[...]
luntatis tuæ libertatem, propter Chriſtum: fi[...]
mando obedientiæ voto, exemplum ejus: qui [...]
perderet obedientiam, perdidit vitam in mor[...]
morte autem Crucis.

## PRAXIS.

*DEUS, ſub cujus Nutibus, vitæ noſtræ præſent[...] momenta decurrunt: ſuſcipe preces humilite[...] ad te clamantium: ut hanc quidem mortalem vita[...] omnem, ſecundùm Sanctiſſimæ Voluntatis tuæ bene-placitum, in abundantia bonorum operum, auxilian-te Gratiâ tuâ ſemper decurramus: ejus vero decur-ſum, ſancto, pleno, ac tibi placito fine, per Filii tu[...] & Matris ejus, & Electorum omnium merita, & per Miſericordiam tuam, concludamus.*